pastoris excommunicatio timenda vel facienda esse decernitur?
f. 126. presertim cum dicat apostolus: Non solum qui prava faciunt,
sed et qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua.
Inf. Hanc apostoli sententiam ecce iam bis obicere non vitasti.
Def. Si quando necessitas incumbit, non dico bis aut ter, sed etiam
centies unum idemque scripturae testimonium sinistris argumen-
tationibus fidenter oppono. Nec immerito; agonista enim contra
diversa inimicorum iacula uno utitur clipeo. Inf. Responde mihi,
quomodo hactenus ~~sic~~ super pontificum excommunicationibus istius-
modi distinationem[a] nullus facere praesumpsit? Def. Ergo oblitus
es testimonia, quibus paulo superius declaratum est, non esse[a]
iniquis iussionibus obtemperandum, nec sinistris actibus consen-
tiendum, quod in eisdem testimoniis legitur: Quoniam non volens
iniquitatem tu es, odisti domine omnes usque mendacium. et illud:
Ve qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras
lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in
amarum. et illud: Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.
et illud: Non solum qui prava faciunt, sed et qui consentiunt fa-
cientibus, digni efficiuntur morte perpetua. et illud: Minister Dei
est tibi in bonum. Interea et hoc recolendum, quoniam quidem ille,
qui dicit: iuste an iniuste obliget pastor, gregi timendum est, ipse
in eodem loco dicit: Sub magno moderamine pastores ecclesiae vel
solvere studeant vel ligare. Plerumque contigit, ut hic iudicis lo-
cum teneat, cui ad locum vita minime concordat; et saepe agitur, ut
vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus[a] solvat. et infra:
Iudicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum

[a] destinationem l.
[a] eet ~~ccd~~ l.
[a] ligatos l.